manuscript

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pastore negligatur. Unde et primus pastor sollicite amonet dicens.
Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior et testis xpi passionum
qui et eius que in futuro revelanda est glorie communicator. pascite qui
in vobis est gregem dei. Qui hoc in loco pastionem cordis an corporis
suaderet aperuit cum protinus adiunxit. Providentes non
coacte. Sed spontanee secundum deum. neque turpis lucri gratia. Sed vo
luntarie. Quibus profecto verbis pastoribus precavetur pie ne
dum subiectorum inopiam saciant se mucrone ambitionis occidant.
ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi. ipsi remaneant
a iusticie pane ieiuni. Hanc pastorum sollicitudinem paulus ex
citat dicens. Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet.
fidem negavit. et est infideli deterior. Inter hec itaque metuendum
semper est. et vigilanter intuendum. ne dum cura ab eis exterior
agitur. ab interna intencione mergantur. Plerumque enim ut diximus
corda rectorum. dum temporali sollicitudini incaute deserviunt ab intimo
amore frigescunt. et foris fusa oblivisci non metuunt. quia a
nimarum regimina susceperunt. Sollicitudo que subditis exterius
impenditur. sub certa necesse est mensura teneatur. Unde bene ad eze
chielem dicitur. Sacerdotes caput suum non radant | neque comam
nutriant. Sed tondentes attondeant capita sua | Sacerdotes
namque iure vocati sunt. qui ut sacrum ducatum prebeant fidelibus
presunt. Capilli vero in capite exteriores sunt cogitationes
in mente. qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur. curas
vite presentis designant. que ex sensu negligenti quia importune
aliquando prodeunt. quasi nobis non sentientibus procedunt.
Quia igitur cuncti qui presunt habere quidem sollicitudines
exteriores debent. nec tamen eis vehementer incumbere sa
cerdotes recte et caput prohibentur radere. et comam nutrire.
Ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus am
putent | nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Unde et
bene dicitur. Tondentes tondeant capita sua. videlicet cure
temporalis sollicitudinis. et quantum necesse est videant. et tamen recidant
citius. ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per am
ministratam exteriorem providenciam corporum vita protegitur
et rursus per moderatam cordis intencio non impeditur.
capilli in capite sacerdotis et servantur ut cutem cooperiant.
et resecantur ne oculos claudant.